

Bibliothèque numérique

medic@

**Raynaud, A. G.. - De Asclepiade
Bithyno medico ac philosopho.
Thesim proponerat facultati litterarum
Parisiensi**

1862.

***Paris : Didier et Compagnie et
Aug. Durand***

Cote : 90942, t.4, n°2



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90942x04x02>

offert par l'auteur ②
à la Bibliothèque de la Faculté de Médecine

DE *Raynaud*
ASCLEPIADE BITHYNO

MEDICO AC PHILOSOPHO

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

A. G. M. RAYNAUD

DOCTOR MEDICUS

Jam in Facultatibus litterarum scientiarumque licentiatus.


PARIS

DIDIER ET C^o, LIBRAIRES-ÉDITEURS
35, QUAI DES AUGUSTINS

AUG. DURAND, LIBRAIRE-ÉDITEUR
RUE DES GRÈS-SORBONNE, 7

1862





Paris. — Imprimerie de P.-A. BOURDIER et Cie, rue Mazarine, 30.

ASCLEPIADE BITHYNO

PATRI AMANTISSIMO ET DILECTISSIMO

OPUSCULUM HOC

DICATUM VOLUI

FILIUS DISCIPULUSQUE MEMOR

M. R.

DE
ASCLEPIADE BITHYNO

MEDICO AC PHILOSOPHO

PATRI AMANTISSIMO ET DILECTISSIMO
CAPO TIRIMON

OPUSCULUM
ARGUMENTI REPERIENDO

DE
MORBO

STASIS ELECTRICITATE

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DE

ASCLEPIADE BITHYNO

MEDICO AC PHILOSOPHO

CAPUT PRIMUM

ARGUMENTI EXPLANATIO

Ex quo veteris medicinæ pater atque princeps Hippocrates eximium illud et quasi depromptum ex ipsis naturæ fontibus præceptorum corpus reliquerat, quod etiamnunc, post immensum temporis spatium, absque admiratione contemplari non possumus, tanta fuit apud posteros egregii illius nominis gratia, ut, tribus elapsis sæculis, integra et inconcussa vigeret ejus auctoritas, ipse vero Hippocrates tanquam pro numine aliquo haberi, totaque res medica ex ejus arbitrio pendere videretur. Non abfuere quidem, ineunte altero ante Christum natum sæculo, medicorum sectæ prorsus haud ignobiles, quasi materno scholarum Alexandrinarum gremio simul exortæ, Dogmaticorum scilicet et Empiricorum. Nempe illi, multum in medendo rationi dandum esse professi, morborum causas ante omnia inquirendas censebant, iidemque anatomiam tanquam optimam dignoscendorum curandorumque morborum magistram sectabantur: hi vero, soli experientiæ adhærentes, nihil certi, nihil utilis ex ratiociniis exspectandum esse arbitrabantur, rerum causas humanis ingeniis inaccessas

esse, nullum ex cognita corporis compage eminare posse documentum, totamque artem eo reduci debere, ut quæ remedia, quibus in morbis, utilia sæpius inventa forent, id quoquo pacto innotesceret. Verum utrique (si paucissimos exceperis) et qui Empiricorum, et qui Dogmaticorum partes suscipiebant, quanquam de optima sequenda methodo dissentientes, de rebus saltem ipsis inter se consentiebant, Hippocratemque sibi, quod apprime notandum est, tanquam auctorem et patronum vindicabant. Nec immerito quidem. Cum enim senem constat et in observando sedulum, et in colligendis morborum historiis diligentissimum, et veri sequacem in omnibus fuisse, nec quidquam, quod ad curationes spectat, in lucem edidisse, quod non diuturna assiduaque experientia comprobatum haberet; proinde, si ad vocabuli originem attendas, empiricus, id est *ἐμπειρίαν* exercens, dici potest. Nec minus constat Hippocratem eundem, legum, quibus singula inter se connectuntur, curiosum, adeo in retegendis humani corporis abditis rebus, causisque morborum dignoscendis operam posuisse, ut in hoc certe dogmaticus haberi mereatur. Quod igitur utrinque efflagitatum sit vel ab infestissimis inter se adversariis ejusdem viri patrocinium sane mirandi non locus est.

Aut primus omnium apud veteres, aut saltem longe illustrissimus, Asclepiades Bithynus, de quo jam acturi sumus, contra venerabilem illam quasi semidei effigiem insurgere ausus, Hippocraticæ sapientiæ præcepta eradicare ac de medio tollere, novumque rerum ordinem in tota medicina instaurare aggressus est. Methodicorum sectam, tametsi ejus conditor vulgo non existimatur, tamen ipse vere effinxit formavitque; siquidem Themisonem, eorum, ut aiunt, ducem ac coryphæum, præceptis suis instruxerat, quibus contineri fere omnem methodicorum doctrinam haud temere quis dixerit. Porro secta illa percelebris diuturnum in medicina imperium obtinuit, et Cl. Galeni temporibus quam maxime vigeat, utpote qui medicarum artium scholas, se vivente,

florentissimas ad quatuor præcipuos auctores refert : Hippocratem scilicet, Herophilum, Erasistratum et Asclepiadem ¹.

Romam admodum juvenis devenerat Asclepiades, cum Romanis diu conversatus est, Romanos mores induit, Romanam denique medicinam antea despectam et omni laude destitutam in summo honoris gradu collocavit, adeo famæ fortunarumque potitus, ut quærenti cuilibet quænam fuerint artis hujus vices temporibus Reipublicæ felicissimis, nemo potius præsto esse debeat, qui hanc morum disciplinarumque partem in se ipse repræsentare videatur. Quid quod, non suis ipsius innixus viribus, immutandæ penitus medicinæ manum admovit, sed excelsiori philosophorum auctoritate quasi stipatus incessit, nulla alia re magis, ut opinor, ab Hippocrate alienus? Quanquam enim non parum de rerum natura philosophatus erat Hippocrates, atque etiam excogitandis quibusdam absconditis rerum viribus plus æquo indulserat, nihil tamen in ejus libris reperias quod non medicum redoleat, nihil quo sublimiora Socratis Platonisve commenta æmulari videatur; potius enim philosophiam medicinæ faciendæ, quam philosophiæ medicinam accommodaverat. Asclepiades vero contra : nempe philosophiam arbitratus est verum esse atque unicum, non medicinæ solum, sed et omnium disciplinarum fundamentum; et quum Democriti Epicurique partes toto animo amplexus esset, nihil in medium attulit, quod non ab eorum placitis depromendum putaret.

Virum igitur haud mediocris ingenii ac fortunæ, eundemque et Romæ incolam, et rerum novarum studiosum, et Epicuræ philosophiæ fautorem, triplici nomine dignum equidem arbitratus sum, cujus et vita et scripta sedulo perpenderentur, non sine aliqua vel recentiorum utilitate. Etenim quamvis multa luculenter scripserit Asclepiades, infelici rerum concursu evenit ut pleraque exciderint, neque quidquam supersit

1. Galen., *De nat. facult.*, lib. I, cap. 17.

præter paucissima quædam eademque manca mutilaque fragmenta; unde fit ut inclyti illius medici lineamenta vix at ne vix quidem, nisi ex alienis testimoniis, adumbrare liceat. Atque utinam fausta semper, vel saltem vero congruentia forent ista testimonia, nedum ab ipso adversariorum ore nobis sæpius colligenda essent! Hoc enim non mediocri fuit auctoris nostri infortunium, quod et Plinium majorem et Galenum famæ suæ oppugnatores habuerit: quibus si extemplo credendum esset, nihil aliud nisi circulator aliquis ac verborum venditor existimari deberet.

Quandiu in Scholis Galeni auctoritas prope oraculi instar habita est, omnino despectum, vel potius oblivione obrutum remansit Asclepiadis nomen. Jam vero a primis novissimi sæculi annis, quum in animos serpere inciperet liberioris philosophiæ studium, neque nulla, Gassendo auctore, dudum restituta esset Epicuri memoriæ commendatio, doctis quibusdam viris placuit latam inaudito reo sententiam corrigere. Ac primo vir eruditissimus B. Garofalus, quum anno MDCCXII Romæ reperta esset marmorea effigies ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ inscripta, nulli referri posse statuit hanc imaginem nisi soli Asclepiadi Bithyno, cujus vitam doctrinamque compendiaria dissertatione illustravit¹. Paulo antea noster Daniel Clericus in pulcherrima sua *Medecinæ historia*, pauca sed plena rerum capita Asclepiadi imperlitis erat, quæ in recentiori ejusdem libri editione Garofali animadversionibus locupletavit².

Eandem materiam, sed multo fusius, postea tractavit Antonius Cocchius³ eleganti et concinna hujusmodi oratiuncula, cui, tunc temporis, maxime favebant Italicæ academiæ. Et in hoc quidem auctores numero xxvii, latinos scilicet xvi et græcos xi, in medium affert, quorum testimonia collegit vel

1. Biagio Garofalo, *Giornal de' lett. d'Italia dell' anno 1712*.

2. Daniel Leclerc, *Hist. de la médecine*, Amsterdam, 1702-1723.

3. Antonio Cocchi, *Discorso primo sopra Asclepiade*. Firenze, 1748.

potius coacervavit ad Asclepiadem pertinentia. Verum enim vero videtur, non ad historiae fidem, sed ad justae effigiem scripsisse; quumque conjecturis plurima assequi gestiat, de quibus omnino siluit historia, Asclepiademque suum nobis ostendat omnibus, quotquot sunt, dotibus, virtutibus, et ingenii viribus exornatum, minus qualis fuerit ille, quam qualis esse debeat medicus quispiam, nos edocuit. Neque tamen operi suo summam manum imposuerat, seque pollicitus est altero libello de Asclepiadea medicina disputaturum; qui quidem nunquam in lucem editus est. Has partes deinde Joannes Bianchini¹ explere conatus est, meliori, ut opinor, avi. Iste autem clinici potius medici laudem quam historici affectavit, et quamvis philosophicam Bithyni nostri doctrinam vix attigerit, quaedam tamen de remediis ab illo usurpatis sapienter disseruit, adhibito insuper proprio de iisdem rebus iudicio propriaque experientia.

Hactenus Itali scriptores. Quosdam autem et apud Germanos reperimus, qui rem eandem satis laute attrectaverint. Inter quos primus Gumpertio² locus procul dubio attribuendus est, viro non solum erudito, sed, quod satius est, optimi iudicii, et qui artis criticae documenta, magistro illustrissimo Gothfrido Gruner, a teneris hausisset. Cui me multum debere nisi fatear, metuum ne parum grati animi videri possim. Post hunc Burdachius³ memorandus est, duplicis dissertationis auctor sane non contemnendus, qui quidem *nil sub sole novum* existere ratus, Asclepiadem cum inclyto illo apud Scotos veteris medicinae obtrectatore Joanne Brownio ingeniose comparavit. Recentius de veteribus medicis eodem Ascle-

1. Giov. Fortun. Bianchini, *la Medicina d'Asclepiade per ben curare le malattie acute, raccolte da varii frammenti greci o latini*. Venet., 1769.

2. *Asclepiadis fragmenta* digessit et curavit Ch. Gli. Gumpert; praefatus est Ch. Godofr. Gruner. Vinariae, 1795.

3. K. F. Burdach, *Asclepiades und John Brown, eine Parallele*, 1800; — *Und dessen inaugurationschrift scriptorum de Asclepiade index*.

piadis nomine ornatis disseruit Harlessius¹. Ac denique Welz² repertum in Vindobonensi Bibliotheca manuscriptum, quod Asclepiadi adscribendum putat, quibusdam annotationibus illustravit.

Quosdam præterea memorare possim medicarum litterarum indagatores, qui in tenore productionum operum aliquid obiter de Asclepiade dixerint; inter quos præsertim Leonardus a Capua³, Conradus Barckhausen⁴, Schulzius⁵, Fabricius⁶, Curtius Sprengel⁷ nominandi sunt. Sed apud illos profecto quidquam novi difficile reperias. Quod si ad illos supra memoratos confugeris, potius panegyricas quasdam orationes quam simplicem rerum narrationem invenies: quod vitium ne ipse quidem Gumpertius effugit. Nunc Asclepiadem, absque ira et studio, quantum fieri potest, judicare eo libentius aggredimur, quod fere nemo hucusque nostratum huicce officio operam navavit. Quænam igitur ei auxilia in promptu fuerint, quid ab Epicuri commercio retulerit, quid ab eo mutuati sint qui post eum eandem viam secuti sunt, quid denique boni detrimitive philosophia medicinæ afferre possit, posthac inquiremus.

1. Ch. F. Harless, *De medicis veteribus Asclepiades dictis*. Bonn., 1828.

2. Robert Ritter von Welz, *Ἀσκληπιάδου ἕγχειρὰ παραγγέλματα. Des Asclepiades von Bithynien Gesundheitsvorschriften*. Würzburg, 1841.

Exstat alius liber sub hoc titulo: *Asclepiadis liber, in quo conservatio sanitatis explicatur*. Vindob., 1748. — *Animadv. in hunc librum*. Ebendas, 1749. Librum hunc in manibus non habui, neque scio an eodem pertineat quo Welzii dissertatio.

3. Leonardo di Capoa *Ragionam*, V, p. 295.

4. C. Barckhausen, *Hist. med.*, 1710.

5. Schulze. *Compend. Hist. med.* Halæ Magdeb., 1741.

6. Fabricius, *Bibliotheca græca*, t. XIII.

7. K. Sprengel. *Geschicht der med.* Hal., 1804.

CAPUT II

ASCLEPIADIS VITA

Jam primum, in hoc nostro proposito, quasi a carceribus, grande impedimentum offendimus : nempe nullum nomen apud veteres pluribus affixum est : nec dictu facile est, pluresne, inter medicos, Asclepiadas an Apollonios reperiamus : unde fit ut in hac tanta varietate non parvæ molis sit discernere quid ad nostrum, quid ad cæteros pertineat. Neminem fugit, jam a remotissimis Græciæ temporibus, apud insulas Co et Cnidum multa templa exstitisse Æsculapio, græce Ἀσκληπιῶν, dicata, tanquam patrono loci, ac servandæ restituendæque sanitatis provinciam gerenti deo. Huc ex omni regione ægroti convenire solebant, quibus mos erat, oblatis muneribus, in templo obdormiscere, uti accepta inter somnos Dei præcepta facerent. Mox vero, latius pervadente fama, Æsculapii nepotes viros alienæ stirpis in mysteriorum suorum consortium adscivere ; unde exortus est sacerdotum ordo florentissimus, non in Græciam solum, sed in vicinas insulas mature diffusus, quibus omnibus Asclepiadarum nomen commune fuit. Hippocratem ipsum constat unum fuisse ex istis Asclepiadis : qui collecta a majoribus suis præcepta ex absconditis adytorum penetralibus in publicam lucem protulit, ac propriis ipse observationibus, maximo humani generis beneficio, decoravit. Et quamvis, ubi semel medicina in propatulo posita fuit, minus ac minus viguerit Æsculapii dearumque

Hygiæ ac Panacææ cultus, tamen diutissime apud plebem adeo in honore remansit Asclepiadis nomen, ut multis *Asclepiades* idem ac *Medicus* sonare videretur : unde factum est ut plurimi medici (ac sæpius ab *Æsculapio* longe dissimiles), sese præstigioso illo Asclepiadis cognomine, tanquam lenocinio quodam insignirent. Quod quidem an eis bene succederet, nescio; certe nobis pessime, quum difficillimum fiat tot Asclepiadas a variis auctoribus nominatos inter se dignoscere. Plerique tamen novissimo ante Christum sæculo, vel posteriori, usque ad Hadriani tempora, vixisse videntur. Horum de numero, ac de singulorum historia, inter doctos minime convenit. Antonius Cocchius, qui rem primus enucleare conatus est, plus quam quadraginta numerandos esse censebat, multa profecto nomina sejungens, quæ ad eosdem viros referri oportuisset. Gumpertius e contrario, decem tantummodo Asclepiadas extitisse autumat; in quo haud scio an citra justos terminos remanserit; namque Harlessius, libelli illius supra dicti auctor accuratissime elucubrati, quatuordecim Asclepiadas numerat, quorum non modo nomina et cognomina recensuit, sed pauca etiam ad unumquemque attinentia, quæcumque ex naufragio nominum operumque exstitissent, sedulo restituit. Sed de his alias : nempe in hac turba duos tantum superesse demonstravit, a quibus cavere nostra intersit; quorum alter, Asclepiades Pharmacion, Neronis aut Domitiani tempore vitam degisse videtur, sic dictus ob medicamenta, *φάρμακα*, quorum descriptioni compositionique præcipuam navavit operam; alter vero Asclepiades Myrleanus, circa Pompeii ætatem, grammaticam et rhetoricam Romæ docuit.

Noster ab omnibus reliquis ipso Bithyni cognomine discrepat : quod cognomen apud varios auctores ei adeo solemne est, ut ea de re ne minima quidem esse possit dubitatio. Qua ex urbe oriundus fuerit, minus liquet.

Hunc locum apud Galenum reperimus, de quo magna lis inter Clericum et Garofalum exorta est : « Ἀσκληπιάδης Βιθυνός,

Κτηνός ὅς καὶ Προυσιεύς ἐκαλεῖτο¹. » Clericus recte quidem suspicatus hoc vocabulum Κτηνός viri nomen minime esse, censuit M. SS. aliqua menda laborare, proposuitque κτηνος pro Κτηνός. Huic vero interpretationi repugnat Garofalus, qui, Stephani Byzantini auctoritate nixus, Asclepiadis patriam fuisse innuit urbem Prusiam seu Prusiada, quæ trecentis circiter annis ante Asclepiadis ortum *Cius* vocata esset, nomen vero immutasset, ab illo rege Prusia, cujus hospes tunc fuisse refertur Annibal, quum e patria exsularet. Et id quidem huic opinioni accedit, quod ab icto fœdere inter Romanos et Philippum Macedonum regem, anno U. C. DLVIII², urbs Prusa senatus Romani patrocínio fruebatur. Verumtamen Gumpertius, quum utramque opinionem diligenter perpendisset, neutri censuit calculos esse adjiciendos; nam Prusias illa, antea *Cius* nuncupata, minime in Bithynia, sed in Mysia sita erat. Necesse est igitur aut falso Asclepiadem isto Bithyni cognomine designatum fuisse, aut circa hoc alterum *Cieni* cognomen, errorem aliquem irrepsisse. Quum vero, omnium consensu, ex Bithynia ortum duxisset, aliud pro alio a Galeno usurpatum esse oppidi nomen videtur; nempe in Bithynia duæ urbes existebant uno eodemque *Prusæ* nomine insignitæ. Ex utra ortus sit Asclepiades demum enucleare, iudice Gumpertio, non licet. Equidem habitam inter doctissimos viros litem componere minime contendo, et quamvis ista nuperrima Gumpertii opinio majoris mihi ponderis esse videatur, utpote pluribus testimoniis consentanea, non possum tamen quin animadvertam parum id denique ad scopum nostrum pertinere.

Quo anno natus sit, quo tempore Romæ vixerit, non nisi ex conjectura statuere licet. Garofalus eum M. Tullii Ciceronis coævum et familiarem fuisse vult, hoc loco fretus, ex Dialogo *de Oratore*: « Asclepiades.... quo nos medico amicoque usu

1. Galen., Ἐισαγωγή ἢ ἱατρός, t. IV, p. 372.

2. Polyb., vi. liv.

sumus. » Sed non satis animadvertit vir cætera sagacissimus in hoc dialogo Ciceronem non de se ipso loqui, quum hunc sermonem habuisse fingatur L. Crassus, vir consularis et omni dignitate exornatus, L. Marcio Philippo, S. Julio Cæsare Coss. et M. Livio Druso tribuno plebis; qui Crassus paucis diebus post hanc confabulationem fato functus est; Cicero autem tunc temporis vix adolescentulus erat. Plinius quidem significat Asclepiadem Pompeii magni vixisse temporibus¹. Atqui Pompeium eodem anno natum esse quo et ipsum Ciceronem satis constat (a. U. C. DCXLVII). Qui igitur idem falso de Cicerone dici, idem Pompeio convenire possit? Scio hic quoque fuisse multis digladiationibus locum; sed minus arduum erit novas istas ambages enodare. Ac primo non absurdum sit, si quis excogitet Ciceronem de Asclepiade pauca memorantem idem agere quod sæpe in dialogis, et suas ipsius sententias eorum sermonibus subjicere, quos loquentes inducit. Sed ne hoc quidem adminiculo opus est; quod enim in loco illo Ciceroniano Crassus tanquam rem præteritam refert, se Asclepiade amico ac medico usum esse, non inde sequitur, ut quibusdam placuit, Asclepiadem tunc temporis vita jam excessisse. Quod vero, teste Plinio, noster *eodem tempore* vixerit quo Pompeius Magnus, ne ideo, cum Joanne Bianchini, necessarium putes his verbis tempus innui quo Pompeius Consulatu maximisque Reipublicæ honoribus fungebatur. A Cicerone autem sermo ille supra dictus anno U. C. DCLXII collocatur, quum et ipse et Pompeius sexdecim annos nati essent. Quid prohibet igitur quin intelligamus Asclepiadem, postquam L. Crasso medicus amicusque fuisset, tunc aut nuperrime extinctum fuisse, aut aliquot etiam amplius annos vitam duxisse? Huicce sententiæ opitulatur Sextus Empiricus² memorans Asclepiadem coævum cum Antiocho Ascalonita fuisse, quem Athenis docentem audivit Cicero a. U. C.

1. H. N. XXVI, 3.

2. *Adv. Math.*, VI, p. 412.

DCLXXIV¹, tunc septem et viginti annos natus. Sic et Plinii et Ciceronis testimonia eo facilius inter se conciliabuntur, quod Asclepiadem ad ætatem provectissimam pervenisse certe evictum est : quare et Crassi et Ciceronis ævo assignari possit ; et quanquam de anno ipso quo defunctus est nihil declarari potest, tamen constat eum Romæ vixisse septimo urbis sæculo ac præcipue in priori hujus sæculi parte.

Asclepiadis de parentibus, juventute, educatione nihil certi, quod memoriæ tradatur, reperio. Scio quosdam, silente historia, excogitatas subtiliter fabulas ultro consarcinasse ; inter quos præsertim emicuit Cocchius, quippe qui suam ipsius eruditionem potius quam veri quidquam nobis demonstrare conatus est. Sic, quæ fuerit Asclepiadi bonorum patrum copia, ex itinerum ejus numero, quæ pueri educatio, e viri ingenio recolligit. Multas statuit in Bithynia superstites fuisse veteris Græcorum eloquentiæ reliquias, quibus feliciter uti potuerit Asclepiades ; fuisse ibi Hipparcum et Theodorum, qui in geometria excellenter ; ideoque auctorem suum autumat ex hoc duplici fonte multum haurire potuisse ; Epicurum ipsum quondam per aliquod tempus Lampsaci, in urbe Bithyniæ, docuisse ; scholam Laodices florentissimam ab Herophili discipulis olim conditam fuisse ; quum vero a Phrygia non ita magno intervallo Bithynia distaret, multas fuisse vicinis civitatibus inter se communicandi occasiones, maximum præsertim semper exstitisse Prusiæ sive cum Græcia, sive cum cæteris Asiæ Minoris urbibus commercium ; denique multa omnis generis fuisse adjumenta, quæ curiosum adolescentem et liberalium artium studiosum alere atque informare possent. Quæ omnia, belle quidem et ingeniose excogitata, saltem ejusmodi sunt, ut nemo inficias ire possit. Sed procul, quæso, a nobis absit parabilis iste scribendæ historiæ modus.

1. Vid. Cic. *Quest. acad.*, IV, 43. — Plin., *Vit. Cic.*

Nunc veniamus ad hunc Plinii locum, quo innixus Clericus Asclepiadem affirmat sola rei faciendæ cupidine ductum Romam se contulisse : « Durabat antiquitas firma, magnasque
« confessæ rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades, ætate
« magni Pompeii orandi magister, nec satis in arte sua quæs-
« tuosus, ut ad alia quam forum sagacis ingenii, huc se re-
« pente convertit ; atque (ut necesse erat homini qui nec id
« egisset, nec remedia nosset oculis usuque percipienda) tor-
« renti ac meditata quotidie oratione blandiens, omnia abdi-
« cavit ¹. » Hæc Plinius. Contra vero a Cælio Aureliano cognoscimus Asclepiadem, priusquam Romam veniret, Parium, urbem in Propontide sitam, postea Hellespontum invisisse, denique Athenis aliquandiu esse commoratum, quibus cunctis in locis nullam occasionem neglexerit, quo majorem sibi et doctrinæ acquirendæ et exercendæ artis gratia, observationum suppellectilem compararet. In hoc igitur Plinium erravisse compertum est, neque prorsus facile fuisset vel ingenioso et acutæ mentis viro medicinam sine quodam tirocinio, et quasi ex improvise facere. Causam autem erroris inquirentibus nobis, videtur Plinius rem minus caute considerasse (ut qui jam elapso uno post Asclepiadis mortem sæculo scripserit) nec parum ad aliquam confusionem contulisse Asclepiadis illius Myrleani nomen, qui eodem Pompeii tempore grammaticam Romæ non sine laude professus erat.

Quonam animo noster ¹ex Asia Romam devenerit, quanquam nemo æqualium nos edocuit, tamen vero simile videtur nullum aliud ei fuisse consilium, quam secreta illa invictaque delectatio quæ tunc ab extremis terrarum finibus optimum et doctissimum quemque virum alliciebat. Urbs enim Roma jam ad rerum fastigium evecta, ac mirabili splendore exornata, ad omnium gentium imperium grassabatur, utque devictorum

1. Pl. H. N. XXVI. 3.

populorum Deos indigetes, ita et cujusque gentis artes ac disciplinas adiscere sibi videbatur.

Multum tamen aberat quin viam omnino apertam stratamque inveniret medicinam facturus Asclepiades. Etenim animadvertendum est quamdiu et quam pertinaciter huic arti obstiterit Romanorum ingenium, qua videtur, primis Reipublicæ temporibus, omnino caruisse; quippe optimum remedium frugalitas, castitas, vitæ integritas habebantur; ita ut postea, corruptis jamdudum moribus, multorum in animis remanserit iste medicorum contemptus, ipsis virtutibus superstes; cujus odii exemplum posteris tradiderat Cato major, infestissimus ille Græculorum obtrectator, non paucis tamen ipse addictus superstitionibus: « Quandocumque, aiebat, ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet; tunc etiam magis, si medicos suos huc mittet. Jurarunt inter se barbaros necare omnes medicina, et hoc ipsum mercede faciunt, ut fides iis sit et facile disperdant'. » Teste Plinio scimus, L. Æmilio, M. Livio Coss. a. U. C. DCLV, Archagatum quemdam Peloponnensem Romæ advenam, medicinam, cunctis assentientibus, per aliquot annos exercuisse, sed mox mutatis animis, quum et chirurgiæ opes adhibere voluisset, tantum animos pervasisse horrorem, ut carnificis nomen obtinuerit, ac tanto majus deinceps exstiterit medicinæ medicorumque odium.

Quamquam longum temporis spatium elapsum erat, tamen sibi adversantem invenit Asclepiades pristinam illam Ianiæ Archagati imaginem; ideoque forsitan, ut erat vir callidissimus, adversas partes agere suscepit aliamque omnino personam; quod quidem ei præter omnem spem successit. Relictis igitur violentis omnibus adjumentis, tantam in ægrorum curatione adhibuit sive mansuetudinem sive morum elegantiam, ut sibi omnium animos brevi devinciret; adjecta insuper mira quadam dicendi copia et ubertate, qua non medicos

1. Plin. H. N. L. XXIX, 7.

solum, sed et plerosque ætatis suæ homines antecellebat; et quamvis non omnino deessent qui ipsum invidioso *circulatoris* nomine appellarent, eumque ægrotantium libidinibus turpiter obsequi dicitarent, tamen eum, res dictu mirabilis, popularis aura usque ad ultimos senectutis terminos secuta est.

Cæterum maximorum optimorumque reip. virorum commercio ac familiaritate utebatur, siquidem à Cicerone refertur cum. L. Crasso, Q. Mucio, M. Antonio conjunctissimus. Neque parva illa laus ei contigisse videbitur, si quis attenderit plerosque medicorum eodem tempore aut servos aut, ad maximum, libertos fuisse. *rebone* Bianchini, nescio qua auctoritate fretus, cunctis medicis, ejus in honorem, concessam fuisse à J. Cæsare civitatem contendit. Sed res profecto mihi maxime dubia videtur; nam et ipse Asclepiades an jus civitatis obtinuerit, non satis liquidum est. Nullius familiæ nomen proprio addiderat; et marmorea illa effigies Romæ propter portam Capenam reperiata, de qua disseruit Garofalus, eum non togatum nobis ostendit. Romanus certe, sin minus jure civitatis, at saltem jure morum et amicitiarum factus erat. Nempe, quum jam maxima dignitate vigeret, ejusque fama longe lateque extra urbis mænia pervasisset, Mithridates celeberrimus ille Asiæ rex, ægre passus regionem alienam gentilis sui artibus gloriaque perfrui, immensis pollicitationibus eum sollicitare conatus est, ut, relicta Roma, acquisitam diuturnis itineribus morborum scientiam ad natale solum reportaret. Asclepiades vero, spretis legatis præmiisque, Roma discedere usque recusavit; quosdam tamen libros ad medicinam pertinentes composuit et Mithridati regi dicavit, qui et absentis munia utcumque explere possent, et grati animi fidem facerent.

Mirabilia quædam de Asclepiade a variis auctoribus narrata sunt, sed nihil prorsus mirabilius quam virum aliquem jam demortuum olim ab eo ad vitam revocatum esse. Quæ si vera forent, longe præstantissimus omnium, quotquot exstiterent, medicorum noster profecto renuntiandus esset. Res quidem,

narrante Apuleio, fit paulo credibilior¹. Cui si fides adhibenda est, quum olim Asclepiades Romam a suburbano suo se reciperet, funus ingens conspexit frequenti hominum copia stipatum, quumque, percontandi causa cujusnam exsequiæ agerentur, propius accessisset, pertractato hominis corpore jam unguentis asperso, nescio quibus de signis vitam non omnino extinctam deprehendit. Confestim exclamavit vivere hominem, atque vel invitis circumstantibus, medicumque simul et medicinam irridentibus, falso creditum cadaver e vespillonum manibus quasi extorsit, domum referri jussit, spiritum denique quorundam remediorum subministratione omnino recreavit². Inde tanta, ut facile creditur, ei provenit gloriæ et honoris accessio, ut sane mirandi non locus sit, si perpetua felicitate occæcatus arrogantiam animi non satis vitaverit, seque erga cæteros medicos tetricum molestumque præbuerit, quorum præcepta, teste Cælio Aureliano, tanquam nugas refellebat.

Ad summam senectutem pervenisse nostrum nemini dubium est; cur tamen velit eum Fabricius centum et quinquaginta annos pervixisse, nescio. Incredibili quodam fortunæ favore usque stipatus, ne minimo quidem morbo per hoc tantum ævi curriculum laboravit; et, quod mirabilius est, amico sidere confisus, non semel gloriatus erat se medicum non fore credendum, si unquam in morbum incidisset, feliciter quidem de se ipse ominatus, siquidem, forte e scala delapsus, exanimatus est.

Ea sunt quæ de Asclepiade hinc illinc collecta memorare possumus. Neque vero id, qualecumque est, Cocchio satis visum est; qui quidem ut auctoris sui vitam conjecturis resarcire, ita et virtutes ex ejusmodi argumentis comprobare conatus est: nempe ejus frugalitatem collaudat, quia diu vixerit;

1. *Florid.* IV, p. 266.

2. Boërhavius et quidam post eum, nescio quo errore inducti, hunc virum in feminam passione hysterica laborantem immutavere.

castitatem, quia Epicuri discipulus Epicuream ἀσπαξίαν in omnibus sequi debuerit; veracitatem, quia auctoritatem alienam propriis observationibus refellere non dubitaverit; justitiam, quia eum injuste unquam egisse ex nullis testimoniis constet; modestiam vero, quia justus fuerit; æquitatem animi, quia modestus; temperantiam denique in divitiis comparandis, quia villam suburbanam coluerit, in qua et loci amœnitas, et aeris puritas et vitæ agrestis simplicitas animum ab effrenato vitæ civilis tumultu stultisque ambitionibus deterrent. Quod si istius generis documenta accipienda sint, porro nullus fiat huic sermoni finis. Quanquam autem, absentibus testimoniis, tantas laudes Asclepiadi invidere neque possumus, neque certe animus impellit, tamen multos fuisse philosophos compertum habemus, quorum vita propriis præceptis male responderit: idque unum ad posteros vere pertinere arbitramur, quod amplificandis disciplinis aliquid lucri attulerit.

CAPUT III

ASCLEPIADIS SCRIPTA

Quamvis multa scripserit Asclepiades, tamen, ut supra dixi, paucissima supersunt ejus fragmenta, eademque aliis quibusdam debita auctoribus, unde perspicitur eum attico sermone scripsisse. Horum librorum titulos circiter viginti nunc recenseo.

Duodecim Asclepiadis opera a Cælio Aureliano memorantur, scilicet :

Libri definitionum.

✕ Liber de finibus (qui cum superioribus illis idem esse videtur).

De celeribus, sive acutis passionibus libri tres.

In aphorismos Hippocratis commentariorum libri duo.

Ad Erasistrati doctrinam libri *parasceutici*; in quibus de nutritione ac generatione agebatur.

Libri salutarium ad Geminium.

✕ De communibus adjutoriis.

✓ De periodicis febribus.

De lue.

De hydrope.

✓ De clysteribus (qui liber a C. Celso laudatus et partim transcriptus est).

De vini datione in morbis.

A Galeno quinque insuper libri memorantur :

Περὶ στοιχείων, sive de elementis.

Περὶ ἀναπνοῆς καὶ τῶν σφυγμῶν βιβλίον: Liber de respiratione et pulsibus; in quo aëris gravitatem videtur suspicatus esse (Plut. *De placit philos.* iv, cap. 22).

Tractatus de pulsibus, qui videtur in explanandis Herophili præceptis versari.

Περὶ ἀλωπεκίας. De alopecia (hujus fragmentum productius a Galeno allatum est).

In obscuriores Hippocratis libros explicatio.

Adde tres libros a Cassio, Celso, Plinioque nuncupatos : unum de ulceribus, alterum de tuenda sanitate.

Plinius aliquot volumina memorat Mithridati dicata.

Denique, ex quibusdam locis ipsi adscriptis, videtur aliquid de anima in lucem edisse.

CAPUT IV

ASCLEPIADIS PHILOSOPHIA

Quamquam Asclepiadem, ut supra dictum est, Leucippi, Democriti, præsertimque Epicuri doctrinæ adhæsisse ex plurimis locis colligimus, tamen non adeo in alienam sententiam pedibus manibusque descenderat, ut non ipse a magistris suis aliquantulum discreparet. Quocirca, priusquam adhibitam ab eo philosophiam adumbremus, non plane inutile fuerit, si ea quæ ab antecessoribus suis mutuari potuerit quam paucissimis verbis memoraverimus.

Tota Epicureorum philosophia, sicut ex Lucretii carmine colligi potest, ex hoc præsertim pendebat, scilicet nihil aliud in universa rerum natura existere, præter *materiam et vacuum*, quæ quidem mille modis inter se consociata fiant omnium rerum, et quæ sunt et quæ fieri possunt, et fons et origo. Materiam autem non unam et sibimet continentem esse arbitrabantur, contra vero ex immenso corpusculorum numero compositam, quorum prout figuræ, posituræ immutarentur, inde proveniret omnium quæ videmus varietas et dispar compages; quum autem ambo æterna forent, suamque ipsorum existendi causam et rationem in se continerent, nullam vim ullius generis existere, ipsis extraneam, unde impetum accipere possent; quare proprie nasci quidquam aut interire negabant,

quandoquidem, destructis rebus singulis, indestructa permanerent ipsarum elementa. Quod Lucretius sic laute exprimit :

Alid ex alio reficit natura, nec ullam,
Rem gigni patitur, nisi morte adjutam aliena ¹,

Unde sequitur

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam ².

Quod ad ista corpuscula, sive *atomos*, pertinet, talem esse eorum naturam vult Epicurus, ut sint numero infinita (unde patet nullum esse spatium inanibus terminum) adeoque tenuia, ut sensibus nequaquam percipi possint, sola vero ratione intelligi; sunt enim omnium *qualitatum*, ut dicimus, *sensibilium* expertia, neque secari possunt; sed quum diversissime, quoad numerum et figuram, inter se coalescant, simul cum rebus ipsis nascuntur qualitates illæ quibus sensus afficiuntur. Quare autem atomorum numeri dispositionesque immutentur, nihil aliud causæ est, nisi quod atomi æterno quodam motu, cæco eodem inconcinnoque fruuntur, cujus principium in se ipsi gerunt. Initium igitur cujusque rei atomorum fortuita cœtio, finis vero eorumdem discessio.

Quibus omnibus semel positis, nihil est prorsus cur in excogitanda aliqua Dei providentia aut sapientia ingenia distorqueantur. Tota rerum machina paucis simplicissimisque legibus regitur, vel potius fatum omnia disponit meraque necessitas. Absit fictitia ista philosophorum teleologia, absit *causarum finalium* disquisitio.

Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; et ut proferre via
Proceros passus, ideo fastigia posse

1. Lib. I, v. 265.

2. Lib. I, v. 151.

Surarum et feminum pedibus fundata plicari,
.....
.....

Nil adeo quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus ; sed quod natum est, id procreat usum ¹.

Animam ipsam quæ rebus humanis præsidet, et eam intelligendi ac ratiocinandi compotem, censebant Epicurei philosophi haudquaquam aliter constitutam esse atque ipsum corpus, immo vero ex atomis constare rotundis, mobilibus, subtilissimis, quos vulgo cum flammæ alicujus particulis comparabant. Cæterum inter eos de anima et animo mutuaque amborum congruentia parum conveniebat. Plerique animum putabant ex ipso quem perspiramus aëre originem trahere, atomosque aëris mobilissimos sic in intimis pulmonum repagulis præparari, ut postea alendo sanguini animandisque variis corporis humani partibus inservirent. Inde necessario sequebatur verum cognoscendi discendique fontem in sensibus positum esse, hoc illud esse veritatis *criterium*, denique id unicuique verum esse, quod ipsi verum videretur. Nunc ad Asclepiadem veniamus.

De philosophicis ejus placitis pauca nobis Galenus, nec satis perspicue tradidit ². Ante omnia quidem intelligendum esse innuit quid fuerint, auctore Asclepiade, *ἀναρμα στοιχεῖα, ἔγχοι καὶ πόροι, καὶ πρὸς τὸ λεπτομερὲς φορὰ*. Ea tamen quæ subjicit ipse Galenus, ad ista explananda vocabula parum proficere fatendum est. De his nos actutum inquiremus. Interim significat, secundum Asclepiadis sententiam, materiam corruptionis expertem esse ; omnia quæ videmus e corpusculis quibusdam et inanibus spatiis constare : animam ipsam e corpusculorum congerie ortum ducere ; nihil aliud fuisse Hippocraticas illas facultates nisi caligantis ingenii ludibria ;

1. Lucret., liv. IV, v. 821.

2. In III *Epidemic. Comment.* 1. — *De Facult. natur.*, lib. 1, cap. 12.

nullam esse naturæ in rebus componendis solertiam; neque in magnete ipso ullam insidere ferri attrahendi facultatem, ut potius hæc omnia fortuito quodam corpusculorum concursu eveniant : omnes denique, vel excelsissimas ingenii dotes ex assidua sensuum exercitatione unice pendere. Unde quibusdam ex Asclepiadis discipulis inferre pronum fuit, animum omnis odii studiique natura expertem esse; ne minimam quidem inesse mentibus justis injustique cognitionem; neque ullam exstare virtutem, quæ non ad aliquam sensuum affectionem reduceretur.

Multo apertius Asclepiadeas quasdam sententias Cælius Aurelianus interpretatus est¹. « Primordia corporis primo constituerat atomos, corpuscula intellectu sensa, sine ulla « qualitate solita, atque ex initio concitata, æternum momentum, quæ suo occurso offensa mutuis ictibus in infinita « partium fragmenta solvantur magnitudine atque schemate « differentia. Quæ rursus eundo sibi adjecta, vel conjuncta, « omnia faciant sensibilia, vim in semet mutationis habentia, « aut per magnitudinem sui, aut per multitudinem, aut per « schema, aut per ordinem. Nec, inquit, ratione videtur « carere quod nullius faciam qualitatis corpora; aliud enim « partes, aliud universitatem sequitur : argentum denique « album est, sed ejus affricatio nigra; caprinum cornu nigrum, sed ejus alba farrago. »

Ex hoc loco liquet paululum discrepare Asclepiadem ab Epicuri sententia. Quos enim Epicurus *atomos* vocat, illi, ut supra diximus, simplices sunt et insecabiles. Asclepiadei vero atomi nonnullam capiunt immutationem, siquidem mutua collisione dissiliunt, quorum fragmenta mutatis ordinibus denuo inter se copulantur. Haud scio an istiusmodi atomi unum et idem intelligi videantur, atque excogitatæ illæ a quibusdam Epicureis philosophis *συνπλοσις*, inter atomos et

¹, *Autor.*, lib. 1, cap. 14.

majora corpora quasi medium tenentes ¹. Quod si ita se res habuerit, supra memoratum illum Galeni locum facile interpretabimur. Nam et *στοιχεῖα* idem sonabunt atque *συνγκρίσεις*, aut ista, qualiacumque sunt, corpuscula mutuis ictibus collisa; *ἀναρμα* autem, propter hanc ipsam collisionem vocabuntur; protinus *ὄγκοι* intelligendi sunt minutiora quædam corpusculorum fragmenta, vel proprie *atomi*. Quid *πόροι* nisi inania spatia corpusculis interposita, vel illud nuncupatum ab Epicuro *vacuum*? nisi quod vacuum res infinita solidaque intelligi debeat, pori vero parvula sint foramina sigillatim ab Asclepiade in quolibet corpore considerata. Denique *πρὸς τὸ λεπτομερές φορὰ* nihil aliud fiet, nisi motus ille perpetuus offensorum ad invicem corpusculorum, seque magis ac magis extenuantium, donec in spiritum quemdam, aut materiam admodum subtilem evadant; quam quidem subtilem materiam Asclepiadeæ physiologiæ quasi cardinem esse merito quis dixerit.

1. Vid. Diog. Laërt. Epist. ad Herod. — Lucret. I, v. 484, 59.

CAPUT V

QUOMODO ASCLEPIADES

PHILOSOPHIÆ MEDICINAM ACCOMMODAVERIT

Quibus rationibus ad philosophica illa, quibus adhæserat, dogmata totam medendi artem retulerit Asclepiades facilius elucebit, si prius pauca quædam de anatomicis ejus placitis attigerimus.

Parvam quidem videtur explanandæ humani corporis fabricationi operam navavisse; quocirca ipsum acerbius reprehendit Galenus, quod finxerit urinam ab ipso intestino ad vesicam per poros subtiles, vaporis cujusdam instar, permeare, eumque ad laniones rejicit, quorum neminem, ac ne imperitissimum quidem fallit renum cum vesica per ureteres conjunctio. An vere dixerit Galenus nescio; certe Asclepiades hujusmodi erat ingenii, ut summa rerum uno obtutu contemplari, quam ad singula cominus perscrutanda descendere mallet. Utrum ipse humana cadavera propriis manibus tractaverit, maxime dubium est: jam vero Herophilus et Erasistratus felicissimis cadaverum dissectionibus plurima retexerant, quæ medicum non indoctum latere plane non decebat: quibus documentis ultro abstinuisse nullam profecto excusationem patiatur.

Ut universam rerum naturam, ita et animantium corpora

profitebatur Asclepiades ex tenuissimis corpusculis constare, quæ, inter se coacervata, spatiis quibusdam inanibus sive poris locum darent; horum autem inter arctissimos anfractus, quædam alia corpuscula, sed multo minora, perpetuo manare, quæ vitam in variis corporis partibus usque recrearent; denique esse spiritum aliquem vel materiam subtilem tenuissimis omnium particulis conflata, quæ per tenuissimos omnium poros assidue fluitaret; sic majora corpuscula majoribus intervallis, parva parvis, angustissimis vero minutissima respondere; ita ut totum corpus quasi cribri ad effigiem compositum videretur.

His datis, facile intelligi potest quibus argumentis veterum opiniones refelleret, qui nutrimentorum digestionem inde proficisci putabant, quod alimenta semel in ventriculum delapsa, aut aliquam putredinem paterentur, aut (quod Hippocrati placuerat) calore corporis innato coquerentur. Nam et ullum nobis calorem proprie insitum esse negabat, et quoquo modo aut coctio, aut putredo intelligeretur, id excogitari non posse censebat sine aliqua elementorum immutatione. Atqui totius philosophiæ fundamentum posuerat nullam in elementa cadere mutationem; quapropter docebat *crudam* materiam in ventriculo quamdam corpusculorum disjunctionem pati, quæ postea in omnes corporis partes diffusa, pro pororum numero ac figura, nunc in arterias, nunc in venas aut in nervos evaderent.

Quod ad respirationem spectat, pulmones cum infundibulo comparare solebat; causam vero respirandi hanc esse aiebat: scilicet materiam inter thoracis parietes latitantem e subtilioribus elementis constare, quam quæ extra corpus sita essent; aerem vero externum, utpote crassiorem, materiæ internæ quasi vim facere deorsumque detrudi (eodem prope modo quo carnes in cucurbitulas cuti impositas alliciuntur) donec pectus acceptam quasi se invito materiam, foras propriis viribus proprioque nisu expelleret.

Quæ de digestionem ac spiritus ductione, eadem de secretionibus sentiebat. Quippe nullam aut hepatis, aut renibus, aut glandulis inesse vim contendebat, qua aut bilis aut urina, aut, si quid hujusmodi, quasi crearetur; verum, ubi alimenta digesta forent, quidquid supervacaneum fuisset, ita foras permeare, ut pro spatiorum inanum dispositionibus, alia per alias vias elementa discederent. Iisdem propemodum rationibus ductus, somnum ex materia subtili deficiente, senectutem ex atomis rarescentibus oriri profitebatur.

Quid plura? Nunc qualem sibi effinxit de medendi arte opinionem animo complecti possumus. In hoc enim uno totam sanitatis rationem positam esse arbitrabatur, ut corpuscula inter oblatos sibi meatus libere ac sine ullo impedimento permanerent; ubi vero eorum motus consisteret, tunc demum morbos exoriri. Inde sequitur ad hoc omnem medelam reduci posse, ut corpuscula secundum eas leges eumque ordinem moveantur, quibus regi omnia in corpore sano par est; totam autem egregii medici curam in justa corpusculorum ac meatuum administratione versari. Eequid enim in corpore humano virium ularum accessionem requireret Asclepiades, qui nihil in orbe terrarum fieri divinitus, nihil ad certum finem esse dispositum affirmasset? Hanc quidem stoicorum sententiam libenter usurpabat *nil fieri sine causa*; quum vero statim subjungeret *omnia fieri necessitate*, idem profecto apud eum sonare vocabula ista *causam*, *necessitatem*, luce elarius est. Cæterum ne quid ambigui superesse videretur, sententiam suam his verbis explanaverat: *naturam nihil aliud esse quam corpus vel ejus motum*. Hoc nempe erat in quo præsertim ab Hippocrate toto cælo distaret.

Equidem id in animo minime habeo, ut sæpius habitam inter plurimos auctores litem moveam, quidnam scilicet intelligendum sit *φύσις* illa ab Hippocrate passim nuncupata, sitne vis quædam corporea, an aliquid ipsi corpori extraneum. Atque haud scio an multo sapientius Hippocrates nullam opi-

nionem de tam abstrusis rebus quasi ex cathedra professus sit. Hoc unum e variis ejus, qui supersunt, libris colligi potest, aut esse aliquid ignotum, quod explendis sani corporis muneribus præsit, morborumque causam depellere assidue connitatur, aut saltem ita se rem habere quasi simile quid existat. Et hoc quidem medico satis est.

Nihil aliud prorsus sibi volunt hæc vel hujusmodi sententiæ : « Natura, ait, morbis medetur; a nullo quidem edocta, citraque disciplinam ea quæ conveniunt efficit '... » et : « Quæ sunt artis medicæ, natura sibi vindicat². Natura omnia omnibus sufficit³. » Hanc autem esse naturæ legem dixeris, ut optima quæque alliciat, retineat ac præparet, nocentia vero vel supervacanea foras ejiciat; utque variæ corporis partes miro quodam inter se societatis fœdere conjunctæ sint, et omnia, bona, mala, quasi communia habeant, denique ad unum et idem propositum consentire ac conspirare videantur.

Hæc omnia, cæteraque hujusmodi, tanquam nugas refellebat Asclepiades, naturamque Hippocraticam ac totam facultatum supellectilem præsertimque vim *attractricem* irridebat; quæ si in homine sano conspuebat, quanto magis in ægrotantibus! Neminem enim fugit in hoc articulo præcipue contendisse Hippocratem, ut natura præfixum morborum quasi-tenorem naturalesque eventus prius cognosceret, quam ipsis curandis accederet; quare maximum hoc medico munus adscripserat, scilicet ut sese nihil aliud esse arbitraretur, nisi naturæ interpretem ac ministrum; naturæ igitur semper obsequeretur, et quo vergeret illa, eo ducere conaretur. Censuerat autem hanc esse morborum acutorum legem, ut nociva quædam materies, eademque ut plurimum nimis cruda, per aliquot dies in intimis corporis latibulis concoqueretur; neque boni

1. Hipp. *Epidem.* Lib. VI, sect. v.

2. *De victus rat.* Lib. I, sect. iv.

3. *Lib. de alim.* Sect. iv, 21.

quidquam fieri posse, donec coctio ipsa de se perfecta foret : tunc vero salutarem quemdam cieri motum, ejus artifex et fons foret ea ipsa natura medicatrix, quasi alma quædam mater, provida atque sagax, quæ materiam peccantem foras ejiceret ; neque vero id temere aut quocumque die evenire ; immo quosdam esse dies, in unoquoque morborum genere præfixos ac stabilitos, quibus natura saluberrimum hoc munus adimpleret. Unde hanc morbi quasi purgationem *Crisin*, diesque illos *Crisimos* Hippocrates appellaverat.

Nunc vide quam longe ab illis opinionibus distet Asclepiadis sententia ; qui quidem naturam illam almam matrem, vel potius novercam pessimam ludibrio habebat, quæ tot tamque luctuosos morbos in miserabile hominum corpus admitteret, quæ moriendi causis impetum facientibus obsistere nequiret, nedum acceptas semel et constitutas fugare valeret, quæ denique nos senectuti, pessimæ scilicet omnium ægritudini, mortique ipsi obnoxios esse pateretur. Crisin vero diesque crimos nihilominus aspernabatur ; in quo præsertim bitem Galeno movit¹. Crisin nempe nihil aliud esse dicebat, quam morbi finem, idque quam simplicissime evenire, quum corpuscula aliquandiu coarctata et condensata denuo laxarentur, viamque atomis manantibus aperirent. Nihil igitur in hisce rebus abstrusum, nihil absconditum esse volebat. Quare dicere assueverat nequaquam ad naturam, sed ad medicum, morborum curationem pertinere, et opportunitatem temporis fieri magis ab artifice posse, quam sua sponte aut Deorum nutu venire ; denique rationem illam medicinæ faciendæ Hippocraticam, quæ hominum salutem solis naturæ viribus committeret *θανάτου μελέτην*, id est, mortis meditationem ironice appellabat.

Ipse vero quid contra statueret, jam ex supra dictis inferre possumus. Quum enim materiam negaret ullius adulterationis

1. Vid. Galen. *Lib. de Crisib.*, III, 418.

esse capacem, nullum proprie in elementa cadere morbum arbitrabatur; morborum vero causas aut a manantium corpusculorum ordine, aut ab ipsis meatibus pendere; nempe illa, ob magnitudinem, aut figuram, aut multitudinem, aut ob motum nimio plus acceleratum, in viis angustioribus consistere; hos autem aut nimia amplitudine, aut nimia densitate peccare. Et hanc quidem causarum explanationem videtur ab eo Lucretius desumpsisse :

Quippe ubi quoi febris bili superante coorta'st,
Aut aliqua ratione aliqua'st vis excita morbi,
Perturbatur ibi totum jam corpus, et omnes
Commulantur ibi posituræ principiorum ¹.

Inde colligebat Asclepiades fervorem illum in omnibus corporis partibus accensum, pulsusque vehementiam, quæ in febribus deprehenderentur, corpusculorum obtrusionis *signa* esse, neque vero morbum ipsum; quum autem corpuscula vel majora vel minora essent, prout hæc illave in meatibus manarent, seu vehementem seu tenuem febrem exoriri; cæterum cur febres nunc continentes, nunc intermittentes conspicerentur, id unum in causa esse aiebat, quod major stagnatio difficilius finem caperet quam levior. Neque dubitabat tamen (in quo forsitan minus sibi constabat) in morbis quibusdam chronicis febrem excitare, tanquam saluberrimum torpentis machinæ stimulum. Item phrenitidem ex debilitate, nimiaque corpusculorum in cerebri membranis coacervatione proficisci dicebat. Similia quædam de lethargo, de pleuræ ac pulmonum inflammationibus, de cardiaca passione, spasmo hæmorrhagique, mutatis mutandis, opinabatur. Hydrophobiam et elephantiasin, teste Plutarcho ², videtur primus in Italia animadvertisse, sive nondum morbi isti apparuerant, sive potius a medicis neglecti fuerant. Quæ omnia sigillatim recensere non

1. Lucret. IV, v. 649. 661

2. *Symposiac.* VIII, 9.

aggrediemur, quia nihil habemus quod Gumpertii disquisitionibus superaddatur, et adeo trunca nobis fragmenta occurrunt, ut, quid innuerit Asclepiades, conjectura potius assequi, quam rationibus comprobare possimus. Nobis tamen vero non absimile videtur, auctorem nostrum, quum ad ægrotantium lectulos accederet, sæpius theoreticarum opinionum immemorem, multa excogitasse, multa minutatim docuisse, quæ sedulum in rebus observandis ingenium testarentur; neque prorsus ad obtinendam egregii medici famam id satis fuisset, si, quolibet dato morbo, unam eandemque atomorum coacervationem singulis organis temere adscripsisset. Huic nostræ opinioni feliciter succurrunt duo non parvi momenti fragmenta, quorum alterum, et quidem productius, nobis a Galeno¹ traditum est, ubi practica quædam de Alopecia satis luculenter exponuntur, alterum a Cocchio repertum², in quo duorum hominum historiæ referuntur, quibus femoris caput, præ coxalgia, sponte luxatum erat.

1. Galen. *De medic. Compos. sec. loc. lib. I.*

2. *Dell' anatomia. Discorso d'Antonio Cocchi. Firenze, MDCCXLV.*

CAPUT VI

THERAPEUTICA QUÆDAM

Quod si nunc ab iis quæ de morborum natura sentiebat Asclepiades, ad methodum curandi ab eo usurpatam pervadamus, non potest non aliquam nobis admirationem movere simplex illa et modica medelarum administratio. Quid enim? Nonne, qui nihil ægroto a naturæ auxiliis expectandum, omnia vero a medico speranda declararet, is debuit violentis remediis uti, singulaque symptomata more Empiricorum vehementer impugnare? Minime vero : neque profecto quidquam ad immensam ejus famam magis contulit, quam quod mirum in modum ægotantium libidinibus indulgere, eorumque animos communibus mollibusque medelis demulcere noverat. Ab illo scilicet edictum est toties deinceps recantatum illud proverbium *id esse medici officium, ut tuto, ut cito, ut jucunde curet*. Quo nihil sane melius optatiusve excogitari potest, neque quidquam amplius desiderandum merito quis dixerit, si tam rem ipsam effectum, quam propositum consiliis assequi facile foret.

Morborum tamen definitionibus satis rectè apud eum respondebat ipsis opitulandi ratio; quumque omnino nihili faceret occultas peripateticorum facultates, rem quoque nullam medicamenti nomine vere dignam arbitrabatur, nisi quæ ad dilatanda pororum spatia, corpusculorumque fluxus expedi-

tiores efficiendos aliquid valeret; nihil autem ad hoc rebus diæteticiis efficacius existimabat, dummodo opportune sciteque adhiberentur. Utilissimam in acutis passionibus cibi abstinentiam, utiliore etiam ciborum varietatem credebat, ubi, jam vergente ad sanitatem corpore, fractas languidasque vires cupediarum illecebris incitare necesse foret. Librum composuerat de *communibus adiutoriis*, in quo, teste Corn. Celso, medicinam ad tria hæc revocabat, gestationem scilicet, frictiones, vini que usum singulis morbis accommodatum.

Neminem fugit quantum locum in Græcorum moribus obtinuerit ars gymnastica, præsertim ex quo tempore ejus normas Herodicus accuratissime constituisset. Hanc Romani, devicta Græcia, quamprimum usurpavere, hanc et Asclepiades sedulo excoluit, rem, ut opinabatur, multo ægrotis utiliore quam sanis. Nempe quod apud recentiores professus est Sydenhamius, scilicet, incipientibus variolis, aliquam utiliter suaderi posse corporis exercitationem, id Asclepiades in plerisque acutorum opinabatur. Ægrotantes igitur, quandiu liceret, modice deambulare jubebat; ubi vero vires omnino deficerent, aut cymba, aut lectica, aut mollibus rhedis, aut equis gestari; et hæc quidem quasi inertis deambulatione, vel in ipso febrium ardore, non abstinendum putabat; id enim in animo habebat, ut corpuscula, quæ in poris angustioribus stagnarent, levibus quidem sed assiduis motibus succussa, iter sibi per viarum angustias rumperent, totamque traherent secum una scatentium atomorum quasi colluviem. Quocirca id potissime post prandium fieri jubebat, quo facilius eliminatorum corpusculorum vices alimenta exciperent; ubi vero sudor in cute stillaret, consistendum dicebat. Denique, si qui rhedæ motum ferre non potuissent, horum ad usum quosdam lectulos quatuor funibus suspensos excogitaverat, quibus levissime jactari possent. Balneos quoque pensiles vulgo adhibebat ita dispositos, ut alternis aquarum motibus immersa membra leniter allamberentur; rei balneariæ cæterum studiosissimus,

nam et *frigidaë dator* appellari gaudebat, et multiplicem illum aquæ usum in morbis felicissime frequentaverat, cui postea Antonius Musa et imperatoris Augusti sanationem et suam ipsius famam debuit, quem vero nos, tanquam rem novam et inauditam *hydrotherapiam* ore rotundo nuncupavimus.

Non aliam esse censebat frictionum utilitatem, quas aut rudes brevesque, aut molles et ad longum tempus producendas adhibebat, adjunctis insuper aut urticarum aut unguentorum affricationibus; quæ omnia ad unam eandemque pororum aperturam pertinebant; et hoc *fricari cum ratione* appellaverat.

De vini administratione multa scripserat Asclepiades, quo, quanquam nullum aliud præsentius medicamentum existere dictitabat, tamen haud temere utebatur; vinum enim nunc Creticum, nunc Samothracicum, nunc vero merum, nunc *τεθλασσομένον*, id est, aqua marina permistum, alias hyssopo, melle aliisque medicaminibus temperatum, ægris propinabat.

Sat de diæticis. Quamvis tamen parabilibus et in promptu positis remediis multo libentius uteretur, quam raris et magno sumptu accersitis, neque musicam, neque declamationem, neque risum ipsum in curandis morbis negligeret, non idcirco credendum foret ab eo abjecta fuisse quæcumque a veteribus medicis tradita accepisset. Nam et chirurgiæ manum sæpius admovit, et *laryngotomiam* in suffocationibus, et in hydrope *paracentesin*, crurumque scarificationem usurpabat, et cucurbitulis venæque sectione non usquequaque abstinuit. Hac vero parcissime utebatur, quum sanguinis missionem arbitraretur nihil ad purgandos humores proficere, verum ad plenitudinem minuendam doloresque mitigandos. Quod autem medicamentis alvum purgantibus abstinuerit, id in causa est quod ullas iis negabat inesse virtutes, quibus singula singulos humores allicerent; quippe et horum medicamentorum usu pravorum humores in corpore non attrahi sed creari volebat, siquidem sanos nihilo secius atque ægros purgarent; vel potius

nullum esse per se, aut bonum aut prævum humorem; et nihil inde sperandum esse dicebat, nisi ventris evacuationem, quæ scilicet, sive alimentorum abstinentia, sive, ubi nimia urgeret plenitudo, clysmatibus, facile obtineri posset. Tanto magis contra emetica remedia insurgebat, quorum tantus jam vulgo fiebat abusus, ut quidam mensæ et comessionibus dediti cibos, gulæ causa, statim vomitu rejicerent, quo majorem alimentorum copiam denuo deglutire liceret.

Quid de sanitate tuenda scripserit Asclepiades, non satis compertum est. Scio carmen quoddam anno MDCCCXXVIII a Rob. Welzio typis mandatum esse, tanquam ex auctoris nostri operibus superstitem scriptiunculam. Et hoc quidem *ὕγιεινά παραγγέλματα* inscribitur, sive *hygiænicæ præscriptiones*. Sed istam a se creditam originem Welzius hercle non comprobavit. Quot enim in variis bibliothecis exstant manuscripta, tot et plures nominantur auctores: nunc Oribasius, nunc Asclepiadæ illi Hippocratis filii, nunc vero Dioscorides simul et Asclepiades. Huic ut potissimum faveat Welzius, eo præsertim nititur quod manuscriptum illud Asclepiadis nomine insignitum et sit omnium integerrimum, et ob characterum figuras ad sæculum quintum decimum referendum videatur; quod denique nihil in toto carminis tenore existat, quod huic opinioni omnino repugnet. Sed, bonum factum! quum tot tamque diversi exstiterint Asclepiadæ, etiamsi evictum foret reapse Asclepiadem aliquem poematis auctorem fuisse, rem tamen de Bithyno nostro agi minime liqueret. Cui sententiæ eo minus equidem accedere possum, quod locum aliquem, ineunte carmine reperio, in quo venæ sectio suadetur quotannis vere usurpata; atqui, ex jam supra dictis, quam maxime mirabor, si istiusmodi consilium ab Asclepiade nostro unquam prolatum esse compertum fuerit.

Totum illud carmen, quod versibus LXXXIII continetur, simplex admodum est, nec quidquam in eo reperias sive ornamento sive poeticis leporibus concessum. Pauca, et ea

quidem frugi, consilia traduntur de victu, de ciborum præparatione, de domuum administratione, de balneis, denique de plerisque quæ ad vitam communem pertinent; quibus subjicitur longiusculum aliquid de pulcibus exterminandis. Quæ cuncta, Salernitanæ scholæ præceptis longe deteriora, quam metro adstricta sunt, tamen sermone plus quam pedestri exprimuntur; ac nisi illud, qualecumque est, certe antiquissimum foret monumentum, sane non operæ pretium fuisset, ut in eo explorando tamdiu immoraremur.

CAPUT VII

ASCLEPIADES PERPENDITUR

Nunc demum, ni animus fallit, quemadmodum et quibus de causis Asclepiades aversa prius a medicis rebus Romanorum ingenia sibi adeo devinxerit, ut jamdudum extincti magistri doctrinam excoluerint, ejusque discipulis faverint, explanare licet. Ac primo fatendum est, neque quisquam inficias iverit, multum ad id contulisse quidquid vir excellentissimis naturæ dotibus præditus proprium ac peculiare in se ipse gereret : promptum scilicet ingenium, memoriam multarum rerum tenacem, dialecticam, mirandamque illam dicendi facultatem, qua illum inclarusse apud omnes constat, qua vero deficiente, nulla unquam solida atque perfecta apud Romanos gloria fuisset : adde felices quosdam morborum eventus, curamque in accommodandis ad singulos medelis exquisitissimam. Id vero, ut opinor, nunquam satis fuisset, nisi Asclepiadi cum æqualibus suis secretum quoddam intercessisset affinitatis vinculum. Quod facilius intelligent quicumque rerum Romanarum statum animo recolligere voluerint. Quanquam enim Urbs ad summum gloriæ fortunarumque fastigium tunc temporis evecta erat, non deerant tamen in tanto civilium militariumque rerum splendore, quæ homines sagaces ac providos futuræ cladis præmonere possent : populorum devictorum mores et vitia simul cum divitiis a longinquo allata ; immensæ opes in paucorum manibus accumulatæ, plebis egestas, despecta atque exoleta majorum austeritas,

et labans disciplina; animi voluptatum illecebris dediti, epulæ, comessationes, cinædorum scortorumque commercia, omnia effeminarum gentium oblectamenta terrarum a finibus accersita. Necnon, si qui meliora sequebantur, ii quoque Græcorum artibus indulgere cæperant; et quum vetus agriculturæ honos omnino excidisset, hoc erat hominibus liberalioris ingenii solatium, ut litterarum cultu otia oxornarent, philosophiamque, quam pristini Quirites tanquam rem prorsus inutilem ac verba volantia despexerant, toto animo amplexarentur.

Quare, in hoc rerum articulo, Epicuri doctrina præ cæteris maximam gratiam obtinuerit, nihil est quod miremur, utpote quæ non solum solutiores vivendi normas animis voluptatum studiosis prætenderet, sed etiam, ni fallor, ipsi Romanorum ingenio mirum in modum accommodata videretur. Nunquam enim Romæ invaluit earum artium studium quæ in mera contemplatione versantur; huc vero sese potius vertebat propria ac vernacula indoles, ubi aliquid ad vitæ usus et ad rem pertineret. Idcirco multo plures Epicurus quam Plato discipulos Romæ semper habuit. Scio equidem multum abesse quin Lucretiana illa *κοσμογονία*, quæ omnem vim divinam abjicit, obscura omnia explicet aut ambigua solvat. Hoc tamen commodi in se habet, quod, ubi principiis calculos adjeceris, reliqua facili cursu et quasi sponte sua sequuntur. Nihil enim abstrusi, nihil absconditi reperias; quippe omnia ad causam mechanicam et, quod magis est, unicam ita referuntur, ut quasi tota physicarum rerum ratio in hoc uno contineatur versiculo :

Tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res¹.

Nunc finge Asclepiadem nostrum tali hominum rerumque commercio utentem, eoque vergentem quo tota simul ruebat civitas. Nempe ægrotantibus adeo non tetricum medicinæ

1. Lucret., liv. I, v. 105.

vultum porrigebat, ut contra arridentem et oblectatoriam personam gerens, res vel tristissimas omnibus eloquii illecebris morumque leporibus exornaret. Neque vero effeminata corpora multiplici remediorum administratione sollicitabat, sed citharædorum concentibus balneorumque dulcedine ita demulcebat, ut quæ quisque maxime sequi volebat, id sua auctoritate suadere videretur.

Quæ si plerisque placebant, id quoque virorum cultioris ingenii animos Asclepiadi devinctos faciebat, quod in medendo nunquam philosophum omnino dediscebat. Auguria, somnia, verborum potestatem, veterem denique illam superstitionum supellectilem quæ diu Romanis pro medicina fuerat, abdicabat; et *nil sine causa fieri* dicitando, animos naturæ curiosos ad exquirendas rerum omnium, ac præsertim morborum causas incitabat. Id certe non fortuito evenisse arbitrator, ut, quæ Lucretius egregio carmine canebat, eadem eodem tempore Asclepiades et dogmaticis sermonibus profiteretur et ad medicum usum accommodaret; quod quidem ambobus minus prospere successisset, nisi jam prompta parataque omnia invenissent. An amicitiam inter se coluerint, nescimus; res autem plus quam verisimilis videbitur, adeo cognata sunt et ab eodem fonte derivata quæ ille de rerum natura, hic vero de medendi arte professi sunt.

Hujusmodi sunt profecto quæ Asclepiadi res novas in medicina meditati fausta hominum ingenia adspirantemque fortunam conciliavere. An jure id ei contigerit, minus in aperto est. Ipsi sane id crimini vertere non ausim, quod Hippocratem non in omnibus secutus sit; neque, ut opinor, ea mens ipsi Hippocrati unquam fuerat, ut se extra omnem disceptationem positum putaret; cujus placitis, quotquot sunt, extemplo credendum esse, tanquam oraculi alicujus sermonibus, ii solum possunt existimare qui boni quidquam veteribus adstrui, resque humanas ad meliorem statum progredi posse negant. Quid quod multum aberat quin omne ferret

punctum dicta illa Hippocratica doctrina, pluribus quam decebat discipulorum interpretationibus adulterata. In hoc enim peccaverant quidam Dogmatici, quod magistri placita plus æquo amplificantes, Naturam nescio quam sibi effinxerant, sensibus omnino inaccessam, sagacem, futuri providam, eademque in corpore humano tanquam in aliquo deversorio advenam et hospitem, cui quum totam relinquerent corporis administrationem, sæpe considerandis potius morbis quam curandis indulserant; quæ quidem medicinæ faciendæ ratio, absque injuria, *mortis meditatio* appellari poterat. Non pauca igitur erant quæ rigidum veri falsique æstimatorem requirerent; atque haud scio an idem apud veteres ab Epicuri philosophia sperandum videri potuerit, quod apud recentiores Verulamius, assentientibus omnibus, egregie perfecit, scilicet ut ingenia abstrusioribus studiis sterilique primarum causarum indagationi dedita, ad minutio rem rerum naturæ materiæque observationem revocaret. Felices nimium et Epicurus et Asclepiades, nisi ille, omnia explicandi libidine correptus, quidquam ultra suos atomos et inane spatium exsistere negasset; hic vero, paratus nimium jurare in verba magistri, natura medicatrice diebusque crisimis, quos feliciter impugnaverat, semel deturbatis, statim alias quasdam hypotheses subjecisset, nec minus fictitias nec certe probabiliores!

Scio equidem (neque hanc ei laudem invidere velim) practicas ejus artes theoreticis opinionibus multo præstitisse, neque, si ad res ipsas propius attenderis, usurpatam ab eodandorum remedium rationem adeo ab illa Hippocratica discrepare, ut inde novæ sectæ institutor facile agnoscat; quare apud Asclepiadem libenter dixerim et in rebus excogitandis philosophum medico caliginem sæpius obduxisse, et in agendo medicum philosophi præjudicatas opiniones feliciter emendasse. Quid vero ad nos? Nempe posteris id unum curæ esse debet quod ratione comprobare et ad certam doctrinam referre possis. Quærentibus autem quid Ascle-

piades post se reliquerit, en nobis occurrit Methodicorum secta.

Non enim defuere qui mox ultra justos terminos procederent, et quidquid ab auctoris nostri præceptis depromi posset, in lucem proferrent. Quorum celeberrimus Themison Laodicensis totam rem medicam ad hoc punctum redigere aggressus est, ut *methodus* fieret quam brevissima ad morbos tuto, cito et jucunde curandos; si quid autem ad methodum non pertineret, omnino abjiciendum putavit. Egregie quidem agnoverat Asclepiades medico non solum inquirendum esse quid pluribus rebus commune esset, sed etiam quid unicuique proprium ac singulare. Themison vero nihil medico nisi *generalia* curæ esse voluit; suam autem sententiam sic explicabat: non satis id esse arbitrabatur quod plerique, auctore Asclepiade, agnoscerent corpora ex atomis et poris constare, morbos autem ex atomorum perturbatione exoriri, nisi insuper innotesceret quænam esset ista perturbatio. Quapropter statuebat duobus modis perturbari posse atomorum societatem; nempe hos nimia aut laxitate aut strictura peccare; inde morborum genus duplex, *laxum* scilicet et *strictum*; quibus tertium aliud adjiciebat, quum atomi inter se partim laxi, partim vero stricti esse possent; et hoc genus *mixtum* appellabat; nihil esse ratus quod non huc aut illuc referri posset. Dicebat præterea morborum alios breves, alios vero chronicos esse; et hos quidem ad genus *laxum*, illos ad *strictum* pertinere; cæterum triplex esse tempus quo medicis ægrotantium cura gerenda esset, sive quum morbus incresceret, sive quum jam ad summum pervenisset, sive quum imminueretur; his denique cognitis paucissimis rebus, nihil amplius desiderandum esse, unde quis optimam *medelæ* faciendæ rationem depromeret.

Quibus de signis Methodici morbum unumquemque ad genus suum referre solerent, nunc recensere minime operæ pretium est. Quid novi medicinæ attulerint, difficilius reperias.

Cur enim in exquirendis morborum causis sive proximis, sive antecedentibus laborassent, aut cur ægrotorum ætatem scrutarentur, sexum, vires, temperamenta, consuetudines? Cur anni tempora cœlique varietates? Parum referre ad curandum morbum opinabantur quonam modo inchoatus esset, si quidem morbo jam constituto ac vigente, minime causarum, immo vero effectuum ratio habenda esset. Quare nihil in hominibus morbo laborantibus nisi morbum ipsum considerabant. Et hic quidem qua in parte corporis consedisset, multo minus inquirebant, quam cujus generis foret: quod si genus laxum reperiretur, laxi, sin vero strictum, stricti remedia admovebant; anatomiam proinde physiologiamque flocci faciebant; unde, ipsis iudiciis, nihil aliud commodi sperandum foret, nisi ut applicandorum remediorum locus paulo manifestior appareret. Ut vero simplicissimam morborum naturam, ita et maxime exiguum medelarum numerum fecerant, in hoc præsertim ab Empiricis abhorrentes. Eo denique simplicitatis devenere, ut quasi temere, et in acutis *diatriton*, id est trium dierum abstinentiam, et in chronicis *circulum* illum *metasyncriticum* adhiberent, de quo plura nobis tradidit Cœlius Aurelianus¹. Quid mirum igitur si, hujusmodi artibus, studium medicinæ ad brevissimum temporis spatium coarctatum fuerit, olimque Thessalus Trallensis gloriari potuerit quempiam, se magistro, intra sex menses medicum evasurum: longe profecto ab Hippocrate diversus, qui artem longam, vitam vero brevem esse querebatur. Atque illud erat non mediocri iis lenocinium, quos lucri faciendi spes ad hanc artem omnium difficillimam compelleret. Sed haud scio an quidquam gravius Asclepiadi objici possit, quam quod tales discipulos habuerit, verusque parens facilis istius medicinæ videri potuerit, quam *facilibus litteris* etiam pejorem lubens equidem dixerim.

1. Cœl. Aurel. *Chronic.*, lib. I, cap. 1. Circulum hunc etiam Galenus μεταπόσεικτον, sive pororum immutationem appellat.

Haud insulse Burdachius¹ vetera recentioribus conferens, Asclepiadis Bithyni cum Joanne Brownio comparationem instituit eo magis argutam, quod ipse Brownium ingenue demirabatur. Multa quidem primo aspectu reperias quæ tali proposito repugnare videantur; quum enim Asclepiades nullam inesse animalibus facultatem vitalem contenderit, nihil quo vere a rebus mortuis discrepent, Brownius contra, physicarum omnium legum prope immemor, nihil non ad vitam retulit, tanquam ad genuinam et sanitatis et morborum originem. Verumtamen, si res attentius perpenderit, mox animadvertes hanc esse potius temporum quam ingeniorum differentiam. Ambo enim hoc inter se commune habent, quod uterque medicinam quam simplicissimam efficere conatus sit. Quid enim Brownius profitetur? Hanc scilicet esse animantium omnium legem, ut *incitari* possint, et vere in hoc articulo vitam consistere; *incitationem* autem, rem per se obscuram et intellectu difficilem, tamen ejusmodi esse, ut sibi constet naturamque nunquam immutet; infinitos quidem incitationum tanquam scalæ (si ita loqui fas est) gradus existere; neque tamen aliam inesse rebus externis agendi potestatem, nisi ut nos plus minusve incitent; nihil esse igitur quod corpora debilitare valeat, immo vero debilitatem impar quoddam incitamentum intelligi debere. Inde liquet nullum esse *specificis*, ut aiunt, *actionibus* locum; morbos simpliciter aut *sthenicos* aut *asthenicos* esse; hos autem ab illis eo uno discrepare, quod non idem utrinque fuerit incitationis gradus; denique nihil medico agendum superesse, nisi ut sedulo consideret corpusne partim an ex integro laboret, et morbus sthenicusne an asthenicus esse videatur. Quum vero Brownius remedia toti corpori, neque vero parti affectæ, admovenda censeret, inde sequebatur nullam aliam esse medici artem, nisi quamdam in stimulis adhibendis solertiam.

1. Vid. supra, p. 9.

Nunc demum, omissis nominibus, ad res ipsas attendamus. Quidni manifestum erit rem unam et eandem utrinque agi? Parvi enim refert utrum Asclepiadis atomi pororumque varietates, an Themisonis strictum et laxum, an Brownii incitationum gradus nominentur, quandoquidem, hisce auctoribus, duo tantum subsistunt morborum genera, vel potius duo morbi, alter quo propriæ corporis sani facultates augeantur, alter vero quo imminuantur; utque duo morbi, ita duo erunt remedia, neque jam est cur in dignoscendis morborum varietatibus laboremus; ars denique ad eam simplicitatem redigitur, ultra quam transire non est.

Quolibet tempore talis aut hujusmodi doctrina in medium prolata fuerit, facile augurari licebit multos huic fore sectatores, dummodo aliqua auctorem commendaverit dicendi ubertas et elegantia. Duplicem enim in se habebit longe lateque pervadendi causam, quod et medicorum pigritiæ, et ægrotorum libidinibus pariter blandiatur. Semper enim inveniuntur qui summa rerum delibare gaudeant, altioremq; rerum naturæ notitiam, tanquam præposteram suppellectilem, data semel ansa, libenter abjiciant; nec magis deerunt quibus molliora remedia placeant et parabilis medicina; donec spe tandem evanescente, et illi publica gratia excidant, et hi ad ineptissima quæque sese convertant.

Ea nempe fuit et Asclepiadis et Brownii fortuna; unde factum est ut cæcam plerorumque admirationem mox oblivio ac prope contemptio exceperit, uterque vero, postquam diu imperii famæque potitus sit, nihil denique reliquerit, nisi multarum rerum ruinas, et magni nominis memoriam.

Quorsum igitur sermo hic noster, aut quo tendimus? Idne fuit hujus scriptiunculæ propositum ut auctorem *systematicum* vellicaremus, ac ne systematis quidem nomen pati videremur? Absit hæc injuria. Eam enim esse arbitramur humani ingenii conditionem ut tales interdum requirat quasi cogitandi cardines, semper autem de iis verecunde pronuntiandum

esse quibus natura tantas animi dotes, tantamque propagandarum opinionum facultatem concessit, ut multorum hominum assensum per longum temporis spatium post se trahere valerent. Verum enim vero grande nobis inde oriri documentum videtur, medicinam scilicet atque philosophiam arctissimo quidem inter se vinculo esse conjunctas; nec illam sine hujus adminiculis perfectam evadere posse; ea tamen lege, ut suam utraque servet libertatem, neque jura sua unquam deserat. Quod si sperare liceret fore ut unquam philosophia ad certam absolutamque causarum notitiam progrediretur, certe huic tuto nos committeremus. Quum vero ita se neque res habeat, neque mox habitura videatur, usque pertimescendum est ne errores sequamur eo magis noxios, quod illa amplius rerum spatium complectatur. Quæ si caverimus, philosophorum certe præcepta non sine magna utilitate audiemus, ab iisque certiore et in exponendis rebus ordinem, et in interpretandis normam, et in inquirendis methodum accipiemus. Quod vero ad corporis structuram cognoscendam et ad tuendam sanitatem depellendosque morbos pertinet, nullis aliorum auxiliis freti, naturam solam, ducem et magistram optimam sectabimur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. IV kalend. jul.

ann. M DCCC LXII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Pro Rectore Parisiensis Academiae,

Inspector,

E. CARO.

Paris. — Imprimerie de P.-A. BOURDIER et Cie, rue Mazarine, 30.

